



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1415. usque ad annum 1431

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118294**

§. 196. Prælati absentes ad Synodum revocati.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66272](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66272)



interiit, nullo pœnitentiæ signo edito. Sæcul. XV. A.C. 1416.  
 Demum cineres ejus sollicite collecti in Rhenum projiciuntur. Poggius Florentinus admodum nervose supplicii hujus seriem descripsit in quadam Epistola hanc in rem ad suum Leonardum Aretinum data, ex qua Poggium Hieronymo Pragensi plus justo affectum fuisse conjicimus. Ita sane ipse Aretinus de Poggio censuit, quocirca illum in suis ad Epistolam responsoriis desuper reprehendit, quamvis ceteroquin Leonardus quoque Hieronymo adeo infensus non fuerit.

§. CXCVI.

*Prælati absentes ad Synodum revocati.*

Peraçto hoc supplicio, omnium studia Vander Hardt tom. 4. p. 614.  
 convertebantur in depositionem Benedicti XIII. & novi Pontificis electionem.

In dies Benedicti fautorum aliqui ab eo defecerant, & frequentes Principum, ac Prælatorum Legati, vel Deputati hujus obedientiæ advenerant, ut sese Synodo subjicerent. Omnes quotquot expediebantur Epistolæ, ad normam Narbonnensis conventionis instruebantur. Cum vero plures Prælati ex aliis obedientiis sub diversis coloribus a Synodo recesserint, hæc Bullam promulgavit, qua omnibus Cardinalibus, Prælatis, aliisque Viris tam Ecclesiasticis quam



Sæcul. XV. sæcularibus absentibus præcepit, ut vel  
A.C. 1416. per se vel per suos Procuratores intra  
 trimestre Constantiam reverterentur.

## §. CXCVII.

*Epistola Imperatoris ad Synodum.*

*Ibid. p. 604.* **P**atres hujus Bullæ fructum exspectan-  
*& 780.* tes, interea ad alias causas animam  
 adiecerunt, in hoc Imperatori morem  
 gerentes, qui literis ad Synodum Lu-  
 tetiæ die 5. Aprilis datis, altioris inda-  
 ginis negotia usque ad adventum suum  
 differri præcepit. Episcopus Tragurien-  
 sis in Dalmatia hanc Epistolam in qua-  
 dam Congregatione generali die tertia  
 Junii prælegit. Hac Imperator Syno-  
 dum sollicite rogat, ut incumberet Ec-  
 clesiæ ac Clericorum reformationi, eos-  
 que ad decentiam tam in vestitu, sup-  
 pellectili, quam in moribus servandam  
 adstringeret, & arma deferre eisdem pro-  
 hiberet. Præterea curarent Patres, re-  
 stitui omnia bona Ecclesiastica ab usur-  
 patoribus injuste detenta, Archiepisco-  
 pum Moguntinum cohiberent, ne in  
 Germania belli flammam accenderet, Ar-  
 gentinensem Episcopum libertati resti-  
 tuendum urgerent, nec ullam electionem  
 in Regno Hungariæ confirmarent, Ca-  
 rolo de Malatestis omnes, quas ei pro-  
 misissent, conditiones servarent, Joanni  
 Con-